



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Regvlarvm Vtrivsqve Ivris Cvm Ampliationibvs Ac
Limitationibvs**

Dueñas, Pedro

Venetiis, 1566

Petrus Advenas, Canonici Doctor, Benevolo Lectori S.P.D.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63213)



PETRVS A DVENAS,
CANONICI IVRIS DOCTOR,
BENEVOLO LECTORI

S. P. D.



IV multumque cogitanti mihi, Lector optime, scriptis in publicum dare quippiam quo temporis in studio literario à me insumpti ratio reddi possit: ambigenti que vehementer à quo scribendi genere consultius foret exordiundum quod magis in rem studiosorum cederet: tandem in mentem venit operæ pretium me facturum, magisq; studiosos demeriturum, si Iuris vtriusque Regulas pro meo modulo, quanta integrum mihi esset diligentia, dedolarem. Rem fateor arduam aggredior, multi que nego-

a 2 ty,

tij, verum non parum multis magno commodo futu-
ram: nempe in qua vniuersa Iurisprudentia delitescat
intellectus & cognitio: operam dantes vt assequere-
mur quò fortè poeticum illud de nobis decantaretur.

Omne tulit punctum, qui miscuit vtile dulci.
Quanquam autem Bartholomæus Socinus Italus, si-
mul & Ioannes Bernardus Diaz à Luco, nostras, Ca-
laguritanus ac Calciatensis Episcopus, de iure eiusque
professoribus optimè meritis, in illas scripserint:
præter eas quas congefferunt in vnum potius quàm di-
gesserunt ipsi, animus fuit auctarium adijcere, atque
in illis desideratas scriptoribus, omni qua possem co-
pia absoluere. Partitus sum librum in volumina
quatuor, quorum hoc est ordine primum: quod si hi-
lari fronte, vti spero fore, amplectamini, bonis aui-
bus tria reliqua propediem adentur in lucem. Porro
pars hæc si vtile quid, quodque cum fructu legas con-
tinere videbitur, Deo optimo Maximo, quo bene for-
tunante prouinciam suscepi, acceptum referes. Ea
verò que hic tibi fortassis minus probabuntur, qualia
non pauca vereor sunt futura, candidè iudicare fue-
ris memor, mihi que condones oro ῥᾶ ὄν μὲν γὰρ μακρὸς
σαδαι ἢ μὴ σαδαι. Animum ac conatū spectato quo
hæc adumbrauimus, diligentiam & sollicitudinem qui-
bus in his congerendis desudauimus: quandoquidem an-
te vndeuigesimum ætatis annum prælo sunt tradita.

Rationem, cur præmaturè huic me muneri addixe-
rim, si poposceris, hanc habe: & his ad finem dedu-
ctis si oblecteris, mea que ex semente messem aliquam
foceris,

feceris, accinctior reddar, animatiorque ad alia memoria prodenda, vnde non minus commodi emergat: prosequitur quem capere laborem: quanquam nactus sum Spartam, dum vita supererit, pro virili ornaturus: potissimum inquam hac lege, si modo primum hunc factum; qui maiore otio diutius fortassis lambendus erat. Probari sensero. quæ sanè res plurimum animis ad literas inflammandis, valet, si Nasoni creditur. ubi cecinit:

Excitat auditor studium, laudatamque virtus

Crescit, & immensum gloria calcar habet.

Iam vero ne cuiquam videri possim haud ita multum temporis iuridice scientiæ impendisse, cum mea typis excudenda darentur, studiorum meorum progressum recensere ac seriem animus est. Auspicatus illa ab iure Pontificio anno sexto & trigésimo supra mille quingentos, nondum duodecimum ætatis annum egressus, partim audiendo, partim audita ruminando iterandæ annos undecim confeci: sub quorum finem profiteri publicè in clarissima hac Academia exorsus, annum agens vigesimum tertium: ex quo post biennium, Doctoratus Canonici Iuris galero donatus. Itaque qui calculum subducere volet, professum sexennium, studuisse annos duodeviginti offendet. idque summa quoad eius fieri potuit sedulitate, tantaque librorum copia (est etenim bene instructa mihi bibliotheca, quæ admodum paucis collegarum meorum cedat) ut ferè nemo è Scriptoribus omnibus tum veteribus tum iunioribus, quotquot vel in ius civile vel

Pontificium ingenij monumenta & lucubrationes ad-
derunt, in Museo meo desideretur: atqui de ijs loquor
qui aut apud nos prostare visi sunt, aut certè in ma-
nus meas peruenere. Reliquum proinde est candide
Lector, vt conatum nostrum boni consulas, studijsq;
faueas ac bene preceris. Quod intelligi nolim qua-
si minus id agere te existimem, verum ita, vti Poe-
ta inquit.

Acer & ad palmæ per se cursurus honores,
Si tamen horteris, fortius ibit equus. Et,
Qui monet vt facias quod iã facis, ille monedo.
Laudat, & hortatu comprobat acta suo.

Ego demum ex animo reprecor, tibi sit mens sana in
corpore sano. Vale: duodeuigesimo Calendas Fe-
bruarias.

